



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione
Dilvcidatvs**

Tollenaer, Jean de

Antverpiæ, 1635

Metrica Paraphrasis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

METRICA PARAPHRASIS.

NEQVID QVAM *stimulis agit*
Egredientem animum dira scientiæ
Prurigo, atque inhians nouis
Ieiuna esuries vana cupidinis.
Quisquàmne hæc reputet noua,
Quæ diu præteritis cognita sæculis?
Miraris trifidâ face
Fumantes scopulos Acroceraunia,
Ætnæisquæ vaporibus
Fuscari igniferi lampadas ætheris?
Iam diu sulphureo patres
In busto Sodomæ consimiles rogos
Spectarunt. Thetidem stupes
Spumosi immemorem littoris, obstrepera
Vnda seditionibus
Affectare patenti imperium solo?
Iam dudum imperiosius
Vndantis pelagi bruta volumina
Noëam nemorum iugis
Inuexere ratem; cùm Libanitidum
Proteus æquoreum pecus
Cedrorum dedit intonsa cacumina
Depasci, & maris incola
Nidis accipitres expulit alcyon.
An fors insolitum putas
Suffosis grauida visceribus Rheæ
Mundi arcana reconditi
Panè è tartareis sedibus erui?
Auri sacra fames diu
Expulsa exilio fidereis plagis,

Per

Per confinia Tartari

Reptauit, rutili præda inhians luti.

An fors æmula montium

Luxu regifico surgere culmina, &

Moles molibus additas

Miraris liquidis nubibus obuias?

Jamdudum Iapeti genus

Affectans rutilis sideribus viam,

Famoso æquore Sennaar

Insanis speculam molibus extulit,

Transscendens Hyadum lares,

Arctoæque niuis, raucaque fulminum

Regna. An forsitan asseris

Mentes ingenuis artibus inlytas

Accendisse scientiæ

Non comperta prius lumina? Nil agis?

Cum nostri generis sator

Dia plasma manus viribus ingeni

Diuina penetralia

Lustrarit Sophie, multaque viderit

Inconcessa nepotibus.

Nil sub Sole nouum: sed velut ætheris

Seruant excubiæ vices,

Alternis que perit sideribus decor;

Et nunc Sol roseum caput

Immergit Pelago, Leucothoës nouis

Nunc cunabula deserit

Cristatus radius, nec tamen est nouus,

Sic terræ faciem nouat,

Alternatque vices orbita temporum:

Et quæ bruma peremerat,

Vitali reparat sorte Favonius;

E

Sic

Sic quod corripuit prior
 Ætas, & tenebris texit inertibus,
 Ætas fera nepotibus
 Spectandum referet, ne tibi sit recens,
 Quod lux crastina parturit.
 An scire est animus postuma sæcula
 Quam rerum segetem dabunt?
 Quam dilapsa retrò messuerit dies.

PROSA EXEGESIS.

TERTIVM hoc est Ecclesiastæ consecrarium, quod ex motu rerum naturalium, ortusque & occasus vicissitudine colligit, *Nihil sub Sole novum.* Præsentissimum antidotum non tantum aduersus curiosam sciendi pruriginem, sed etiam aduersus immodicos æstus cupiditatum. Si enim nihil noui scientia labore suo consequitur, merito vanitatis ac dementiæ redarguuntur ij, qui corpoream hanc mundi molem curiose perscrutantes, tantâ superbiâ efferuntur, ait Augustinus, ut inter astra, de quibus disputant, cum Lucifero solium collocare videantur. Frustrâ etiam sunt, qui noua semper cupiditatibus suis fomenta conquirunt, si nihil admodum reperire est in hoc vniuerso, præter ea, quæ antiquos voluptatis asseclas famelicos, ac beatitudinis expertes reliquerunt.

Sed priusquam vero sensu verba Sapientis enucleem, sequestrandus est mihi à cæcâ Philosophorum quorundam Epicureorum, Pythagoricorum, maximeque Stoicorum turbâ. Illi enim ut in posterum eadem recursura demonstrarent, quæ præteritis sæculis dilapsa sunt, nescio quæ non somnia venditarunt, nescio quam non palingenesiam, metempsychosin, ecpyrosin,

Nihil in orbe nouum.

Curiositas vana. Augustinus de Moribus Ecclesiæ, cap. 21.

Rerum naturalium reuolutio.